

Tiedemann Giese

Anacrisis no-||minis Jesus.||

Gedani: Rhode, 1542

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn715583573>

Druck Freier  Zugang



I. C. = 3887. <SON>



Altiacris is no-
minis Jesus.

Pfal. XXXIX.

Beatus vir cuius est nomen domini
spes eius, & non respexit in Vanitates
& insanas falsas.

Anno 1542.

Singulari humanitati atq; do-
ctrina praeclaro, d. Georgio Re-
amico suo colendo Jacobus in
Barthun d. d.

Deuteronomij ca. xiiij.

Si surrexerit in medio tui propheta aut
qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit
signum atq; portentum, et euenerit quod lo-
cutus est, & dixerit tibi, Eamus et sequamur
deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis,
non audies verba prophetæ illius aut somnia-
toris, quia tentat vos dominus deus vester,
vt palàm fiat vtrum diligatis eum an non, in
toto corde & in tota anima vestra. Domi-
num Deum vestrum sequimini, & ipsum tis
mete, & mandata illius custodite, & audite
vocem eius, ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis.
Propheta autem ille aut fictor somniorum
interficietur, quia locutus est vt vos auerteret
à domino deo vestro.

fol. XXXIX

Deus in cuius nomine dominus
seruus & non servus in vultu
& in corde eius

Anno 1772

[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

cuius significatio deus & homo. Nam miserationis magnitudine et sensuum sublimitate se torqueri indicabat is qui obtulit, petereque à me huius modo sententiæ enodationem, cæteris videlicet nihil remorantibus, securam lectionem.

Poteram hæc ut pleraque alia non paulò nugatoria silentio transire. Verùm cum hic percontator magni apud suos esset nominis, meretur videretur ut Episcopum, quem vult Apostolus didacticum esse, tanquam in re seria requirere, cogitabam per hunc me à Deo tentari, num præstarem id quod dicitur, nec exasperandam esse putabam simpliciter me compellantis conscientiam, ne si nihil responderem, vel ille contemni à me videretur, vel ipse in eodem hæreseretur. Arbitrabar autem scripto potius quam in aurem remagendam esse: ne quæ in iudicium hominum, quod hoc seculo etiam in sinceris est suspicax, inciderem, secus quam sentiebam intellectis aut retortis verbis, quæ cum dicto solum calumniatoris petulantiam non effugiunt. Et videbatur hæc res alia quoque, quorum exempla quædam post dicentur, secum trahere, huic negotio cognata, minimeque aspernanda, Quæ dissimulari à mei loci viris non conueniat.

Ut igitur quid de propositis Elogij verbis sentiam.

sentiam explicem: primum aio, non oportere nos quorumuis hominum, qui celebre in Ecclesia doctrinae nomen non sunt sortiti, hoc est mei similitum, sententias tanq̃; diuina oracula suspicere, aut tanquam Ecclesiasticæ autoritaris edicta recipere, minime verò in his excutiendis disruciari, vel operam aliquam exactam collocare: nisi manifeste scripturarum seruent indolem: vt perspicui possit non tam illis qui protulerunt, quàm sacris literis ab indagatore habitum esse honorem. Hæc itaq; mihi oblata, cum etiam anonyma essent, et verba ipsa tam non clarum referrent scripturae alicuius vestigium, vt videri etiam possent **A**Enigmatis loco à Sphinge quapiam proposita, relinquenda decreueram ei qui pinxerat, quiduis ex officina proferenti, modo non desit quæstus. **Q**uidè putatur parari vberior, si titulus affigatur, qui legentes ducat in admirationem, insolens quiddam aut ampuliosum sonans. **Q**uod hic fieri quis non ausermet, audiens tam prodigiosa:

Potuit sane fieri, vt aliquis erga nomen Iesus pie affectus, volens eius veluti panegyricum facere, simpliciter curauerit excudi ac euulgari, quæ vel alicubi lecta arriserunt, vel ipse imprudens lusit, **Q**ualia passim et alia prodes

A **ij** **un**

unt, speciem quidem pietatis habentia, sed
quæ tamen non secundum scientiam dicta aut
ædita esse cordati deprehendunt: hoc etiam
nocentiora, quòd ad supersticiosos cultus ple-
runq; abducunt simplices animas, plus fiden-
tes autoritati eorum qui protruserunt, quàm
vt putent aliquid in sensibus verborum discu-
tiendum. Eam simplicitatem si quis coniecta-
re in istis potest, huic mitiora forsitan sequen-
ti stet iudicium suum. At mihi, cui pro officio
accuratius omnia dispicienda sunt, videtur
ista (vt clare dicam quod sentio) nec sim-
pliciter nec à simplici ingenio prolata, verba
verò eiusmodi esse, quæ extra suum contex-
tum, inexplanatim pronunciata, nubem ali-
quam impietatis secum trahere videantur, li-
turgijs et religionis specie ita tectam, vt queat
ceu fascino imponere legentium mentibus.
Verùm res ipsa loquitur, hunc puelli Iesu in-
terpolatorum, quilibet is fuit, babylonicas
merces pro syncæris proposuisse christiano
populo. Vnde mirandum non est, his offensa-
sum esse percontatorem meum, qui forte in-
trospiciebat latentia sensuum portentosa & nos-
tum Gordium, cui explicando me Alexandrum
drum

drum alterum poposcit, ipse tam non ausus
obstreperere eius qui obrufit sacrosanctæ auto-
ritati, vt etiam euulgarit suspecta, disseminet q̄
passim in commissio mihi Christi grege per se
simplici, & hõc procliuiore ad credendum,
quò plus ipse etiam proxeneta, mysten præ se
ferens eximium, habetur venerandus.

Hæc mihi perspicienti negligenda ne sunt.
An non etiam detrahenda mentita forma im-
postorie. Nam si interim dissimulans coner-
oburbantia verba cum sensu aliquo catholico
(quod ille exigere à me videbatur) conciliare,
ac duriter sonantia non maliciose prolata osten-
dere, aliud non occurrit antidotum, quàm
quòd diuinem, autorem studio magnificandi
nominis illius hyperbolica eterosi vsum esse,
vt pro eo quod sentiebat literas quorũ & syl-
labas diuinum quiddam & spirituale referre,
tropo hebræis familiari dixerit, Cuius literæ
deus, cuius syllabæ spiritus, Qua figura &
Christus videtur locutus, Verba quæ ego lo-
quor spiritus & vita sunt, pro eo quod est,
spiritualia & vitalia: Et alibi scriptum est,
Mors in olla, pro mortiferum. Verum non
ausim iurare illum id voluisse, nec possem
probare si voluit. Quis enim ita ineptiat, vt
vel ipsam scripturam sacram, quam merito

A

ũũ

diuinam

diuinam vocamus, etiam deum appellet?
In alijs feratur hic tropus, Creaturam oblique
Deum transformare nephas. Catholica
fatur fides Deum assumplisse hominem:
Ab homine assumptum Deum dicere blas-
phemia est. In prophanis Scenis dij homi-
num formas induunt: homines deorum per-
sonas mutuari piaculo dignum habetur.
Hebraica phrasis patitur iudices & principes
populi ac eos ad quos sermo dei factus est, de-
os vocari: sed quid cum hebraismo latine lo-
quenti? Paulus multos deos esse affirmat,
sed ihs qui facticios sibi statuerunt: qualis est
heluonibus & dei verbum cauponantibus
veter, Feram si tales dici tuos deos iubes, qui
literas & syllabas colis. verum ita vt tui sint,
non nostri dij. Nemo nisi mente captus ita
Iudit in sacrarum rerum laudibus, vt veri Dei
maiestatem proculcet, ac dum minutiora illus-
trare vult, summa conspurcet. Animam
Christi, templum dei, coelestia lumina, ange-
licos spiritus, ipsum deniq; quod regnum coe-
lorum vocatur, Christi Euangelium, aut si
qua diuiniora in creaturis habentur, nemo
pie christianus Dei vocabulo dignabitur,
cum veteres quoq; & primarij orientis eccle-
siae duces, huius nominis religione deterriti,
vel Christum ipsum vererentur palam apud
neophytos

neophytos deum appellare: quod de Deo etiam
am filio hæreticis visum est dici audacius,
quàm ferat tanta maiestas. Hic verò nuper
natus Mango, etiam literas & syllabas, quibus
formatur tantum nomen Iesus, deos nobis
suppositicios venditat, excusabilius facturum
ac stropham forsitan aliqua elusurum auditorẽ,
si vel ipsum Nomen deum dixisset: Quod
Iudæorum quorundam superstitio de nomine
dei quadrilitero causa quidem est, sed hoc
prætextu, quod nihil Deo tribuatur quod
non sit ipse: quomodo nec nos negamus,
quod dixit psalmus: Domine quàm admirabile
est nomen tuum in vniuersa terra, idem
esse ac si dixisset, quàm admirabilis es tu.

Erat hic quoque ferendum de magno nomine
Iesu magnifica prædicari. Verum hic dum
literas nominis apotheosi sua laudibus vehit,
deum ipsum e cœlesti throno in ima detrudit,
in literas illum fœdissima metamorphosi
vertens. Nam ad Dei comparisonem, quid
potest aut minutius aut leuius aut vilius dici
literis & syllabis: cum & seruator Christus
pro minutis legis lora & apices legis dixerit,
Syllabæ quoque prouerbiali ioco notentur, ut
qui rem nihili fecerit, nec My fecisse dicatur
Quid enim aliud efficiunt literæ & syllabæ,
quàm ut structura quadam pro arbitrio

A v grammar

grammatistarum instituta, vocem aliquam
significabilem vel etiam nihil significantem
constituunt, ipsæ inuectores mortales habens
res, nec nisi materiam vocis pro libitu vrentia
um afferentes, Quid aliud vel ipsa partium
orationis nominat? Vnde si Logicæ artis pe-
ritum quis roget de his elocutionibus: Literæ
nominis Iesus, sunt deus, syllabæ sunt spi-
ritus, quomodo supponant Literæ, Syllabæ,
Iesus. Nomen: respondebit Materialiter sup-
ponere, vt quæ præter seipsa nihil significant,
& materia tantum sint signorum: vnde &
elementa vocantur. Quæ an non sacrilegia
um et Idololatria est vt deum adoranda pro-
ponere? An non proponuntur, quæ solari
iubare ornata, et Dei titulo insignita, in aris,
templis, parietibusq; statuuntur? An hoc
perinde est, ac in libro scripta ostendere?
Quanto tolerabilius potuisset Ezechias rex
serpentem æneum, vitæ et sanationis typum,
à Mose Deo præcipiente constitutum, ac clas-
sissimi misterij christianæ saluationis significa-
tiones habentem non destruere, ac populo
sub vmbra literæ degenti diuinis honoribus
colendum permittere. Compescuit Christus
Dæmonij vocem, non falso quidem, sed non
in loco clamantis. Tu es filius dei, Tu es fan-
ctus dei, quod minus etiam haberi poterat
quim

quàm Deus. Paulus & Barnabas diuinis factis illustres, non tulerunt sibi à Lystrensi- bus deorum cultura aduersus, diuinis nuncu- pationes indebitè quidem, sed tamen non sine pietatis affectu deferri, Ioram sceleratus Sa- maritæ rex, quum peteretur à se quod Dei erat donare, detestans rei indignitatem vestimenta sua scidit. Quid igitur facias literas & syllabas res inanimes et umbra leuiore, sine causa, sine iudicio, Dei appellatione honoranti, ac veluti noua Idola Christi populo adorandas statuenti?

Ut verò dem, quinas illas literas hebraice scripti nomen Iesus, singulos esse deos (licet enim in his vanis exemplo prophetarum iocari) nihilo secus conuincò hunc esse idololatriæ doctorem, qui in archetypo suo latinis literis & syllabis hoc nomen pingit: cum qui mysteria ex verborum literatura elicere conati sunt, proprijs & hebraicjs tantum ea tribuerint, à latinarum forma pronunciatione et sono diuersissimis. Quòd si obliquo casu nomen Iesu, literula aliqua concisa aut inflexa scriptum videas, iam ne n integrum cultum nomini persolues, vno videlicet elapso aut truncato deo. Quid quod contra vnitatis professionem tot facis deos quot pingis literas

At

At nomen Iesus mirificum est & summe honorandum. Non nego, nisi quòd tibi hoc mirificum portentificum interpretanti non assentior, mirabile autem ac maxime honorandum fateor. An id alia de causa, quàm quod Saluatorem nobis sonat, propterea ab Angelo quoq; præstitutum? Permitto & quod disputauit nuper quidam hebraice doctissimus, non hoc, sed sacratius quiddam exprimere istud Seruatori nostro nuncupatum nomen. Sit sane. An aliud quàm nomen est? At Deus auersatus etiam est nomenclaturam omnem, quæ non propria ipsius essentia sit: significans se non vocari aliquid, sed esse eundem qui semper est: quòd scilicet nominis quæcunq; attributio afficere componereq; videatur: ac (vt Logicorum vtar verbo) qualitati subijcere vel ad aliquid referre solidam simplicemq; ipsius substantiam, vt iam se inferior haberi possit, quod citra impietatem nemo astruet. An non minus est nomen quàm res ipsa? An non etiam à parum Christianis dignius habetur hebraicum Hu, aut Platicum Tauton, quàm quæ communio nis alicuius indicatione ab vnitate simplicitateq; recedunt? An non communio & affectio etiam est, effabile fieri quod ante fuit ineffabile? Dignum nimirum, nos vnus litera
rula

vulæ accessione auctionari Deum: quasi opti-
mè cum eo agatur, si sonari tantum ab homi-
nibus possit, cuius gloria sempiterna ante crea-
tam humanam linguam eò prædicatur maior
quòd fuit etiam angelis ineffabilis.

Quouiscumq; igitur significato aut myste-
rio ornetur nomen Iesus, qualibuscumq; lites-
ris pingatur, eæ quiduis in oratione referant,
quauiscumq; locutionis figura proferantur,
certè piæ aures non ferunt hanc pronuntiatio-
nem, Literæ sunt deus: etiam si huc confu-
geris vt interpretæris non aliud dictum esse,
quàm quod sensit Paulus, quum dixit. Pe-
tra erat Christus. Non enim ostendes, vti li-
teræ illæ in typo significant Deum, etiam si in
ipsum sacrosanctum Tetragrammaton eas
transformes. Quancq; figuram tantum esse,
minus etiam est quàm quod tu elogio efferre
voluisti: non enim rarum aut eximium est, hu-
miliũ quoq; rerum figuris Deum adumbrari
Hoc tamen si adhuc contenderis commonstres
necesse est, quo modo etiam Syllabæ signifi-
cent spiritum, nam pari tropo hoc quoq; dixis-
sti, Syllabæ sunt spiritus. Id si ostenderis,
non vrgebo orationis diuersum enunciantis
simplicitatem, quod possem quidem. Si non
ostenderis, conuincimus vtròbiq; te rem non
signa

signa voluisse efferrè. Ridiculum autem est, syllabis quæ literas, hoc est deos, complectuntur, non etiam ipsas esse deos, nisi idem volueris esse spiritus et deos, quia videlicet deus spiritus est.

Quæ verò phrenesis est ita delirare, vt dicas syllabas siue esse siue significare spiritum? quum notū sit Pauli inter literam & spiritum tantum diuortium, vt huic lucem & vitam, illi umbram & mortem, res natura pugnantissimas ac inter se neutiquam communicabiles, tanq̃ proprias formas tribuat: dānet in Ecclesiasticis sensibus literam, spiritum euehat. Quid igitur aliud est dicere Syllabæ sunt spiritus, quàm si dicas mortem esse vitam, tenebras esse lucem? Neq̃ enim recte cauillaberis, perperam me literam pro syllabis vsurpare, cum constet in hac Paulina sententia, Litera occidit, nomine literæ venire non modo syllabas, quæ & ipsæ sunt vocum elementa, sed etiam orationis germanum simplicem historicum atq̃ obuium sensum, quem & literalem vocant, quod literis & syllabis naturaliter constet, qui vtrq̃ ob repræsentatas sententiarum formas plus habet latentis spiritus quàm nudi syllabarum soni, quos vel spirituales dicere stultum est, verè autem litera appellantur: Vt nemo non videat helleboro
opus

opus habuisse eum, qui serio in ecclesia pronunciauit, Literæ sunt deus, Syllabæ sunt spiritus.

Nec tamen asseuerare auisim, hunc panegyristen tam apertam dementiam serio prolocutum esse, quam & pueri norint confutare. Quanc̄ quid prodest huc suffugisse: cum excusabilius habeatur errore esse lapsum, aut etiam bardum vel fungum esse, quàm aut sycophantam, aut hypocritam, aut nugiuendum, aut præstrictorem agere, aut apertis oculis autorem erroris fieri. Siquidem nocentius est, prudentem alios ducere in Idololatriam, quàm ipsum idololatram esse, sum et irremediabilem esse blasphemiam Christus pronunciarit, quæ in spiritum sanctum, hoc est contra agnitam veritatem destinata voluntate committitur. Nemo inquis adorabit literas. Optem vt verum sit. At tu qui simulacra tua palàm statuis ac ornas titulis & diuinis effers præconijs, cultum doces. Et hoc grauius peccas, si credis neminem tibi crediturum esse, conanti id quod ipse non credis. Vt enim beatus est qui non iudicat seipsum in eo quod probat, ita inquinatissimus

fit

fit necesse est, qui in eo quod nunq̄ probauit
se iudicat, & exemplo suo proximum necat.

Eiusdem sapientiae est quod addidit.
Cuius significatio deus & homo. Quam
nominis Iesu emphasim, aut, si mauis, etymo-
logiam, vel ignorauit Archangelus aliud in-
dicans, vel ille noster somnij alicuius persua-
sione commentus est, cōtra Ecclesiae regulam,
quae dei & hominis symbolum non Iesu sed
Christi nomine efferri docet, ac vnam perso-
nam duas naturas complectentem Christum
vocat: cum Iesus in carne nati & circumcisi
referatur vocabulum, quo tulit ipse se vulgo
appellari, tanq̄ praefer hominem nihil eximi-
um sonante, cum Christum se vocari aut euul-
gari ante glorificationem, vetuerit etiam, no-
lens se supra hominem aliquid quod Christi
appellatio indicasset nisi ab intimis haberi,
nomine videlicet Iesu etiam gentilibus suis
aliud non referente quam quod ipsi sunt in-
terpretati, A Nazaret fabrum, fabriq̄ &
Mariae filium, fratres & sorores habentem,
hoc est hominem caeteris similem. Sublimis
us quiddam in illo speculatus Petrus, non die-
xit Tu es Iesus, sed tu es Christus filius dei
vivi. Quod per patris coelestis reuelationem
illi innotuisse non pronunciasset ipse Chris-
tus

stus, si ducere eum illuc potuisset graphica
nominis istius coniectura, quæ et ipsa est caro
& sanguis. Quid autem clarius afferri po-
rest ad cognoscendum hoc quod diximus di-
scrimen duorum istorum nominum, quæ
quod in actis Apostolicis concionatus est
idem Apostolus, Certissime, inquit, sciat
omnis domus Israel, quod dominum et Chris-
stum fecerit deus hunc Iesum quem vos cru-
cifixistis: ut Iesus videatur hominem tantum
significare, Christus eundem in gloriam de-
translatum. Quid igitur facias huic nostro
Nomenclatori, qui solum nomen Iesus vtri-
use; naturæ significationem esse vult, nihil
relinquens Christi vocabulo?

Quid autem hunc delicatum puelli Iesu
amatorem adduxerit, ut hæc sentiret, augu-
rari forsitan licet. Nam ut hunc Heraditum
intelligas, Delio tibi natatore (ut est in pro-
verbio) opus est. Legerat apud Paulum,
quod Deus exaltauit Christum, & dedit illi
nomen quod est supra omne nomen, ut in
nomine Iesu omne genu flecteretur, & omnis
lingua fateretur quod dominus Iesus in glo-
ria est Dei patris. Id scilicet est, Literæ nomi-
nis Iesus sunt deus, Item legerat, Nemo in
spiritu dei loquens dicit anathema Iesu, &

B nemo

nemo potest dicere dominus Iesus nisi in spiritu sancto. Id est, Syllabæ dictionis Iesus sunt spiritus. Et in Apocalypsi audierat dicentem Iesum, Ego sum alpha & ω. Id est significo deum & hominem. Nam ita arguantur isti, circa Iesum puerum in lactis potu tantum versantes. Qui si ab olitis puerilibus viri facti essent, debuerant capere, quom dicit scriptura: In nomine Iesu, non significari vocem hanc Iesum, literis & syllabis compactam sed oportuerat eos agnoscere consuetudinem scripturarum et hæbraicam locutionem, quæ per omnem sacrorum voluminum contextum, quous legitur in nomine alicuius fieri aliquid, indicat non vi potestatis uel vocabuli id fieri, aut honorem tribuendum esse nominationi, sed personam siue rem, quæ hoc nomine uocatur, respiciendam esse in facto, ut uidelicet illius autoritati, illius honori, illius uirtuti transcribantur ea quæ uel facta dicuntur, uel fieri debent in eius nomine, ad hunc sit referenda tota facti uis, ratio et gloria, ualeatq; tibi nomen uelut scopus quidam, in quem intendas agens uel optans aliquid. Ita scriptum est in Psalmo: Hi in curribus et hi in equis, nos autem in nomine domini dei nostri inuocabimus: hoc est, Non in fortitudine rerum huius mundi, sed in fiducia uirtutis Dei

tis Dei nostri quærimus salutem. Sic et orat in
Psalmis David, Deus in nomine tuo (non in
nomine meo) saluū me fac, hoc est, tuam ipsius
bonitatem non meum meritum respiciens:
Et nomini tuo da gloriam. Id est, soli benigni-
tati tuæ feratur acceptū, quod nobis euenit
bonum. Tale est & illud septem mulierum
apud Esaiam. Tantum inuocetur nomen tu-
um super nos, Id est, habeamus ad quem spes
stemus virum. In Exodo dixit Deus in Sya-
na. Ecce ego mitto angelum meum qui præ-
cedat te & custodiat in via & introducat in
locum quem præparauī tibi, Obserua eum
& audi vocem eius, & est nomen meum in
illo Quid hic dicit nomen, nisi auctoritatem
potestatem et virtutem: nam angelo aliquod
dei vocabulum tribuisse nephas est. Sic Eli-
zeus maledixit pueris in nomine domini, Id
est, in virtute dei: & de quodam pseudopro-
pheta legimus in Zacharia. Mendacium lo-
cutus es in nomine domini, id est dominum
autorem faciens.

Eiusmodi est quod & in noui testamēti
literis legimus Christum orasse, Ego seruauī
eos in nomine tuo, et, Pater sancte serua eos
in nomine tuo. Id est, Ego illos ad te vni-
cum salutis scopum ducens seruauī ab inqui-
namentis huius mundi, & tu in hoc tuo no-

B ñ mine

mine id est, in tui respectu eos serua, ne relapsi
ad vana huius seculi, alterius sequantur nomē,
id est, autoritatem & duētum. Eadem figura
est, et ab Apostolis dictum claudio: In no-
mine Iesu Christi Nazareni surge & ambula,
& in fide nominis eius hunc quem videtis
consolidauit nomen eius, quod ipsimet sic
sunt interpretati: Nos intui mini quasi nos-
tra virtute aut pietate effecerimus, vt hic am-
bularet, Deus glorificauit filium suum Iesum
&c. Et quod post hæc addiderunt, Non est
aliud nomen sub coelo datum hominibus, in
quo oporteat nos saluos fieri, Id est, solo titus
lo fidei in Christum saluamur. Ipse Christus
vocato ad Apostolicam functionem Paulo,
Vaselectionis, inquit, est mihi iste, vt portet
nomen meum coram gentibus & regibus et
filijs Israël. An docuit Paulus reges gentes
et Israël em, potestatem dissyllabi nominis vel
vocalæ Iesus, ad parandam miraculorum effi-
catiam & diuinas operationes? Qui nescit,
consulat eius acta & epistolas, docebitur quid
sit hoc nominis, quod ille coram orbe porta-
uerit, quo nomine extulerit gloriam domini
Iesu, quem neq; nosse iam vult in carne, in
quo neq; gloriatur per fiduciam carnis.
Quid igitur in hac prædicatione faciat litera-
rum et syllabarum fiducia, quæ verè est carnis
fiducia?

fiducia: Eandem locutionis potestatem agnosces et hic, In nomine meo daemonia eijciant, & quidam tentauerunt in nomine Pauli eijcere spiritus, id est autoritate personae quae vocatur Paulus: & Ego veni in nomine patris mei, & non me accepistis: si alius venerit in nomine suo, hunc suscipietis: Et baptizamus in nomine Trinitatis. Quae si quis de nuncupatiuis nominibus intelligenda esse contendat, declarabit se infantem in diuinis litteris, si non etiam sacrilegum aut blasphemum. Quis enim vel in exemplis quae citauimus, vel in assumpto Actorum apostolicorum loco, qui in nomine Iesu omne genu flexit pronunciat, talem cultum tribuerit nomini tantum vocabulis: hoc te facientem, nonne ore & voce propria coarguit dominus ex Syna loquens: Non assumes nomen domini dei tui in uanum, nec enim habebit dominus infantem eum qui assumpsit nomen domini dei sui frustra. Necdum intelligis in uanum te assumere nomen domini dei, quum grammatico nomini affixus, inuocationem cultumque externum, qui genu flexu indicatur, illi decernis, illi diuinitatis vim tribuis?

Quin potius usu scripturarum admonitus, ruditate deposita discis, quum nominis sit mentio, significato haebraeis germano respes

B ij ctum siue

atum siue intentionem in rem vel personam
vel potestatem alicuius designari: quod iam dicitur
lecton Latinus quoque recipit, quum (verbi
gratia) dicit, hic adolescens nomine literarum
charus mihi est, Phariseorum gens male au-
dit nomine hypocriseos. Te hoc nomine in-
fector, quod doctorem Idololatriæ te præ-
stas. Ne cramen dixit Paulus, Nomini lesu
aut ad nomen Iesus flecti omne genu, ut vel
auribus haustum vel literis pictum possit in-
telligi, sed in nomine Iesu inquit, quod datum
affirmat iam exaltato, ut videlicet nomen
opponatur inanitioni, sitque sensus, Pro eo
quod semetipsum humiliavit, Deus illum
extulit in summam gloriam, deditque ei maies-
tatem & autoritatem supra omnia quæ in
creaturis sunt, in quam omnis superiorum &
inferorum creatura respiciens prouoluatur ei
personæ quæ sic est honorata. Cui affine est,
quod idem apostolus de magnitudine virtu-
tis Christi loquens scribit Ephesius. Sedere
eum fecit Deus in cœlestibus, supra omnem
potestatem, ac principatum, et virtutem, & do-
minationem, & omne Nomen quod nomi-
natur, non solum in sæculo hoc, sed etiam in
futuro. Quid hæc ad vocationem literis
et syllabis exeuntem in nomen pentagram-
maton Iesus? quod nuncupatum est, nedum
non

non exaltato, sed sub ipsam inanitionem, ei
qui venit ministrare, iudicari & contumelias
pati, non iudicare aut glorificari.

Iam quod de syllabico spiritu à Paulo
dictum somniant, parisi vesanix est: quasi senserit
Apostolus neminem posse sonare, aut syllabatim
proferre, nomen Iesus, nisi in spiritu. Quæ tam non
congruunt Paulino sensui, ut is videatur etiam perstringere
ita ineptientes, tanquæ expertes spiritus, & execratores
domini Iesu. Volens enim neminem, nisi spiritu dei afflatum,
dicere Iesum esse dominum, per locum à contrario innuit,
eum qui non Iesum ipsum, sed literas & syllabas dicit
esse dominum, dicere Iesum anathema, id est, execrationem,
nec loqui in spiritu dei, sed in spiritu execratorum.
Quæ enim maior esse potest execratio filij dei, quàm
eius honorem transferre in elementa vocularum? Non paulo
facilius fuerit refellere figmentum de alpha & omega, nisi
pigeret istis tam vanis immorari. Quæ non sunt quidem ita à me
allata, quasi astruam paucis negyristen illum esse nixum
his argumentis ad stabilienda noua sua simulachra, sed quod
credam, si quibus alijs, tamen non felicioribus uti potuisse:
Quæ qualia sint non libet quidem discere, etiamsi in
numerato illa se habere

B iij dixerit

dixerit. Non enim potest operculum ipsa
esse patella melius.

Quantam autem Cramben deu orandam
putes si caetera quoque huius encomij ad Jimam
reuocari debebunt, etiam si percontatori meo
syncera videntur. Eò certè superioribus non
probiora, quòd eundem scopum literarij no-
minis Iesu respiciunt. Quòd quid aliud est,
quàm simulacris suffitus aut coronas offerre?
Videntur quippe ex his nonnulla sensus etiam
absurdos ac non perinde pios habere.
Quale est illud, quòd ait in hoc nomen Iesus
omnia nomina sancta esse referenda. Quid
hic facias nomini Dei in secula benedictor?
quòd propheta ait, sicut Deus vnus est, ita ips-
sum vnum esse: quasi vnicum verum sit, &
nihil aliud sint nomina ad hoc nomen relata:
cum & ipse Iesus in nomine patris se venisse
dicat, sua quoque omnia in illum referat. An verò
maius est dici salutare quàm dici Deum, à quo
etiam mittitur illud?

Deinde quæ audacia est, facere hoc no-
men Iesus, vel etiam ipsum Iesum omnis gra-
tia & gloriae aeternae principium? Quòd
ipse etiam Christus non agnoscit, subinde
affirmans se accepisse gloriam à patre; quem
etiam

etiam Paulus appellat patrem omnis gratiæ
& patrem gloriæ, à quo sit omnis etiam pa-
ternitas, id est omne principium. Et ubi con-
sistit Ecclesiæ inuictissima regula, quæ confi-
tetur Deum patrem non modo creaturarum
omnium, sed ipsius quoque filij eiusque omnia
potentiæ, maiestatis, æternitatis, inò & diui-
nitatis, esse principium? Dicere igitur Iesum
esse principium paternæ gloriæ & æternita-
tis (quod consequens est ex dictis) si ea non
est blasphemia, nescio quid sit blasphemias
huc confer, quòd hunc honorem principij
non tam ipsi dei filio, quàm nomini Iesus tri-
buit. Id enim eum sensisse comperiet, qui
verba librabit. O blasphemiam bis atrocem.
Iam plurimum interest circumspexisse, quid
blateres in Ecclesia, ne in catholicos sensus
impingas. Sed in Apocalypsi Christus re-
fertur principium & finis, item principium
omnis creaturæ. Esto id aliqua ratione ve-
rum sit, quam non obscure ex ipsa scriptura
promptum est elicere. At non protinus illò
prorumpendum erat, vt indiscriminatim, sine
pauore, sine causa, contra Ecclesiæ auctoritatem
effutires, Iesum esse omnis gratiæ & omnis
æternæ gloriæ principium. Quod profectò,
si ad Deum patrem, vt ego feci conferamus,
plus habet impietatis quàm quod Arrius

A v cuomuit

euomuit, filium esse patre minorem, impari-
tatem tantum aliquam comminiscens, cum tu
ipsas etiam personas eueras, filium faciens pa-
trem & huic tribuens quod erat filij: quò era-
roris nullus vnq̄ hæreticus prolapsus est.

Claudit postremo carmē execrabili crepitu,
et voce planè Cyclopica, vincte omnem bla-
sphemiam. Dicit hoc nomen Iesus, quod lite-
ris et syllabis constare ante meminerat, descens-
disse in carnem, corrigens scilicet euangelistam
Ioannem, qui cum scriberet, *Verbum caro*
est, scribere debuerat, *Nomen Iesus caro*
factum est. Et ne alium descensum quàm in
carnati Christi intelligas, addidit, In plenu-
dine temporis, quando missus est Gabriel ad
Mariã. Habemus igitur iam quintum euange-
listam, vel potius omnium euangeliorum euer-
sorem docentem nos non dei, sed Nominis li-
terati incarnationem, asserentem in vna Chris-
ti hypostasi duas naturas non dei & hominis,
sed humanam et nominis Iesu, conuenire, Ma-
riam iam non theocon sed grammatorcon
esse. Et quid nobis restabit de euangelio, de fide
& sp̄e nostra in Christum, de vniuersa pietate
Christiana, si patiemur verbum dei incarna-
tum mutari in grammaticum nomen, Nisi fors-
tasse duabus naturis, diuinæ & humanæ, con-
nectere

nec tere voluit hanc tertiam literalem, eamq[ue]
nec diuinam, quoniam creatura est & homi-
nis nomen: nec humanam, quoniam descen-
disse eam dicit, forte mechanicam, quoniam li-
terarum et syllabarum artificio deformatam,
vt iam ter geminum habeamus Christum.

Porro impudentiæ fuerit, sumere sibi cu-
ram refellendi tantam impudentiam, quæ &
Iudæis, & Turcis, et cerdonibus, & pueris ri-
sui esse possit, hæc tamen est Catastrophe illius
encomij digna suo autore & oda decantata.

Restat coronarium adhuc epicæ diu[m], pueri
Iesu iconem, vt diximus girans, quod tabellæ
ceu basilisco cerastes accessit. Cuius verba qui
volet in statera suspendat, ita scripta. Per so-
lum nomen Iesu, est via ad salutem. Scripturæ
hæc dices esse verba, quibus legimus, ali-
ud non esse nomen, in quo nos oporteat sal-
uos fieri. At tu nomen hic, quod literis et syl-
labis constat, appellas: de quo ante negauimus
posse hunc scripturæ locum sine impietatis cri-
mine exponi. Neq[ue] effugies, si dices te non
negare quod à me exigitur, etiam in ipso Chri-
sto esse salutem, Imò negasti, quum dixisti,
Per solū nomen. Si enim solæ literæ et syllabæ,
quibus tu hic nominis vim decernis, id tri-
buer, inutilis erit et salutis impos ipse Christus.
Cum

Cum contrà, à nomine iuxta veram scripturæ mentem intellecto excludatur, ac in solitudinem relegatur, illud tuum solum nomen. Negat enim præter se esse aliud nomen in quo salui fiamus.

Porro quid sibi velit quod additur, Quo dignificamur ad susceptionem totius trinitatis, equidem non intelligo. Adeo in antro Sibillæ adhuc hærent ista sublimium oraculorum folia: quæ satius est Vt turbata volent rapidis ludibria ventis, quàm vt discutienda proferantur. Sed video hunc encomiasten id sibi curæ sumpsisse, vt quantiflibet excogitatis vndeliberatè concinnatis laudibus veheret hoc nomen, putantem nihil attingere quàm vera dixisset, modo religiosa speciosaq; apparent, afficerentq; simplicium animos. Scilicet his assentatoribus gaudet Christus, hos venatur populi applausus, hos laudandi Cacotechuos: qui si orti nobis non fuissent, periclitaretur nominis Iesu dignitas & memoria. Ego verò haud icio, an vituperandus veniat, qui talem sumpserim operam aduersus eos, quos verisimilimum est ipsos non idem sentire quod scribunt, etiam si id propalent. Cum quibus ingenijs certare non modo præposterum sed etiam stultum est.

est. Sed quid facerem, altero me urgente periculo, si vel cum simulante dissimulauissem? nam simulata tradit etiam & euulgat, nec caret astipulato ribus & consentaneis, & citra simulationis conscientiam auscultantibus, alio qui me piscem habiturus,

Hactenus percontatori tantum meo respondi: Cui si libet conscientiam suam ad meam exigere, habet quo id faciat, Lydium hunc lapidem à me propositum. Sin tentandi tantum gratia me explorauit, habet rationum mearum petram, in quam si impingit impingat: positus est & Christus in lapidem offensionis. Sed beatum illum reddet eius auctoritas, à quo accepit tanta mysteria, quæ dicet me non assequi. Optem igitur, ut vel Probus ille gustaret fecem non exinanitam calicis quem apposuit, aut certe ab alijs præparatum ipse prior bibit, nobisq; imprudens propinauit. Ausim enim deierare, ignorari ab illo eum qui miscuit. Quem si nouisset autorem, mirum si non tanq; à tacto scorpione resurgisset, damnassetq; vno fulmine omnia ab illo vel fensa vel dicta. Non quòd existimem impium vel indoctum fuisse, sed quòd omnibus monachorum familijs inuisum ac veluti hostem habitum, hunc si indicauero modo, puto

puto alijs mihi syllogismis opus non fore ad
reuincendum ipsum qui haecenus Choragum
egit (nam Carthusianum esse audio) vltro
iam cessurum, vbi viderit cui se commisit sa-
li ignorans: metuendum magis ne odio au-
toris, ex encomiaste nominis Iesu Archilo-
schum reddam, veluti fixo in serpentem vesti-
gio resilientem. Quanc̄q; debet hic non
paruam mihi gratiam, ostendenti caesius gra-
ues, quibus me congregientem fatiget. Neq;
enim postremum praesidium est in hoc gene-
re certaminis, claris autoribus niti. Et fortasse
in mei inuidiam, contra institutum abuteretur
ista occasione, vt tanq; Sorex mea ipse voce
peream. Habiturus est transfuga aduersus
me, astipulantem sibi magnam Sueuicorum
auxilioru, praesertim literatorum, cateruam.
Quis enim illorum feret facientem ambiguo-
rum dogmatum autorem Reuchlinum, ad-
uersus eiusmodi accusationes etiam triumphis
clarum? Quis aequis auribus patietur ea
conuellentem, quae Capnion in libro toti Ger-
maniae celebri docuit: nam illius sunt magna
ex parte verba quae exagitauius.

Hic nobis tota panoplia expedienda erit,
certaturis, vt apparet, non iam cum percontan-
sibus aut idiotis, aut simplicitatem professis,
sed cum

sed cum eruditis, cum ferocibus, cum publica Germaniæ opinione, cum conuotorum studijs, cū affectionibus, deniq; cum meipso. Nam si quis alius Reuchlinum omnibus modis doctum, si quis bonum & venerabilem, si quis à pietate non alienum affirmat, primus ego affirmo, nemini cedens de illius virtutibus præclare sentienti. Nemo igitur hoc mihi interuerterit studium meum, vt dicat quæ hætenus disputata à me sunt, his me virum hunc eiusuè doctrinam petiisse aut insectatum esse. Quis enim vel semidoctus arbitretur hominem in sacris literis, et per omnia philosophiæ myrotheca, à primis vnguiculis versatum, id sensisse, aut docere voluisse, quod nos in hac contentione repræhendimus. Quin à calumnijs illum vindicabimus, abusentium eius non impie dictis, in suæ superstitionis & impietatis velamen. Nam pleraq; etiam quæ ille scripserat, ab his deprauata corrupta'q; reperiuntur. Quale est hoc nuper à nobis reprehensum, Cuius significatio deus et homo, quod Capnion mitius dixerat, cuius dictio deus & homo. Et quod scripserat, Quando verbum descendit in carnem, tunc literæ transierunt in vocem, hic corruptor ita temeravit, Dum hoc nomen Iesus in plenitudine tēporis descendit in carnē, etiam literæ transierunt in vocē, manifesta peruersitate quod

de verbo incarnato rectè prolatum fuerat pa-
rum catholice in Nominis incarnationem
mutans, suoq; more diuinitatem verbi nomi-
ni literatio tribuens, Dogma dignum casti-
gatore Capnionis, de quo iam ante differui-
mus.

At leguntur in Reuchlinianis libris ista,
Cuius literæ deus, cuius syllabæ spiritus, &
alia quædam de hoc nomine. Leguntur, sed
quo sensu ab illo scripta sint expendendum.
Toto libro res illi est cum asceticis Sidonio et
Baruchia, altero Epicuri Magiæq; altero Iu-
daicarum superstitionum sectatoribus: Vtriq;
circa miraculorum effectrices verborum, figu-
rarum, & nominum virtutes perdiscendas,
studium exactissimum fuisse affingitur. Hic
Capnion sciens etiamnum inter Christianos
esse plurimos huiusmodi vanitatum affecta-
tores arcanarum rerum curiosissimos, vt ab
irreligiosis opinionibus sensim illos abducatur,
primum artificiose ipse quoq; personam susci-
pit non abhorrentis ab opinione portentifico-
rum verborum, sed quæ pietate veraq; reli-
gione, non sacrilegis cultibus nitantur: ac in-
terim se attemperans illorum infirmitati, in
vocalorum efficacia vsque adeo adhuc hæ-
tentium, vt importuna foret illorum auribus
omnis

omnis spiritualium rerum prædicatio, exhibit
bet Nominis Iesus quandam, illorum addu-
ctis vocabulis, multo superiorē maiestatem,
mysterijstq; longè sacratissimis plenas signifi-
cationes admixtis, quæ plausibilia illis esse
possent, vt si nō ad absolutū pietatis filiū addu-
cere, saltem melioribus commutare posset as-
sueti superstitionibus ingenia. Cum'q; per-
suasisse se iam illis putat, affectibus eorum
abutens, in ipso calore disputationis, pia va-
fricie illectos, ac in stuporem rerū inaudita-
rū perductos, epiphonemate etiam commu-
nit. quo hæc quoq; infert, Cuius literæ Des-
us, Cuius syllabæ spiritus, cuius dictio deus
& homo, subitæ acclamationis licentia plus
dicens quàm sentiret, vt gloriosa de se iactan-
tibus regereret gloriosiora. Hanc stropham
in tam prolixæ argumentationis serie afflictam
in seriam locutionem transformare, ac verba
colore rhetorico in præsentis negocij vsum
deiorra, ab vniuersæ disputationis nexu orati-
onisq; syntaxi abripere, ipsaq; iam sola &
nuda in proprio natiuoq; sensu titulum facere
rei, quam suo in loco tantum expoliebant, id-
q; serio & magnæ religionis ambitione age-
re, an non hoc stellionatus vel plagij crimen
est? non absimile illi, quo liberum hominem,
qui tibi spectatori in comœdia Dauum egit,
C in veram

in veram perpetuamq; seruitutem adigas.
Multa dū in suo corpore, suaq; serie, sunt si-
ta, iure connexionis valent & decent, quæ
seiuincta dedecent & absurda habentur. Id
Mangones norunt & impensè cauent. Hy-
bernis coronis inserta vilium rerum ramenta
aut pictæ bracteolæ, emulantur virentium flo-
rum gratiam, & naturalium foliorum effigis-
ant amœnitatem: euulsa seorsimq; spectata ni-
hil nisi ramenta aut flocci erunt. Et sæpe inter
Crystallos conserta non viliori emuntur &
vitra, non sine flagitio pro synceris suppositi-
tia vendentium. Id in oratione cum sæpe ani-
mo non malo neq; ab re fiat, abutentis teme-
ritate noxium absurdumq; redditur. Patri-
archa Iacob somniorum maiestate accensus, in
vocem prorupit magnificentiorem, quàm vt
rei responderet, Non est inquit, hic aliud nisi
domus Dei & porta cœli, dedicans & loco
nomen Bethel. Innocenter simpliciterq;
factum hjeroboam conuertit in scelus omni-
um maximum, constituto in Bethel facticio
deo, & altari æmulo ei quod erat hierosolia-
mæ. Simile facinus de templo in monte Ga-
rissim Samaritanos tentasse meminit Iosephi
historia, Moyse præcepto de altari lapideo ibi
ædificando abusos: Sic quod clementer ma-
gis quàm pro merito dixerat deus, filius meus
primogenitus

primogenitus Israël, arrogans populus in sui
elationem ac contumeliam gentium, quasi
proprio iure arripuit. Laudauit Christus
in loco seruum iniquitatis, stultum fuerit abso-
lute laudandum putare. Suo item loco ipse
Christus recte dictus est petra scandali: quis
nisi perditæ frontis hunc ei etiam titulum fi-
gat? Herodi concionanti populus acclama-
tionem huiusmodi detulit, Dei voces non
hominis: magnificentiæ & tempori datam
assentationem, ille in seria laude ducens, mox
fœdas ambitus pœnas dedit. Eliseus prophe-
ta ignouit Naaman Syro, cum iam esset Deo
Israël addictus, quòd adorante rege sibi in-
nixo, & ipse adoraret in templo sacrilego
Remmon, non laturus priuatam Idoli adora-
torem. Christus ad animum respiciens mit-
tentis duo æra in gazophilacium, recte adfir-
mauit eam plus omnibus intulisse, re ipsa &
publica æstimatione reclamante. fauemus in
scena purpuratis, coquis, lenonibus, parasitis,
sua functiones agentibus: hos in foro vel
templo, tali schemate prodeuntes, etiam cons-
pueremus.

Non secus videre licet in pia causa Cap-
tionem omnium calculis eruditum & pers-
picacem

spicacem, consulto dum præsentî negotio subs
seruit, literis & syllabis nominis Iesus Dei et
spiritus induisse personas: Illos verò Simios
non valentes inter rectam & retortam locu
tionem discernere, pro personato deo verum
statuisse, ac vino bono miscuisse suam vap
pam, deteriores illis, quorum imbecillitati se
accommodauerat Capnion, in concitatore
dissertatione rhetorem magis quàm dogma
tisten agens: quos tamen obsequentes accepit,
cum isti bona fide docentem, pessima fide
æmulentur. Paulum omnibus omnia effe
ctum audit quidem Ecclesia & laudat, sed in
sacramentis fidei non recipit circumcidentem
Timotheum, iuxta legis ædicta se purifican
tem, idolothytis abstinentem, suffocatorum
esum interdicentem. Idem institutum se
quens ferendus erat Capnion, non vt doctor
ad imitationem trahendus.

Verùm veniam mihi dabit Sueuorum
inelyta natio, gentilem suum Reuchlinum ali
cubi hominem & humana passum reputanti.
Nam vt maximè fateamur, votum scribentis
fuisse syncerum ac pium, tamen lynceum ma
gis esse oportuerat, in affingendis Deo obli
quis significatis, tam simplici & incommu
tabili

tabili essentia non ferente, vt ante diximus,
eā in tropis rhetoricandi licentiam, quam cæ-
teræ de rebus quibuscumque allusiones. Vides
tur autem mihi, id ferme euenisse viro illi,
quod Menippo Lucianico, qui apud inferos
cum Euripide & Homero versatus, sic imple-
tus est numeris, vt ad superos reuersus vix ali-
ter quàm versibus loqueretur. Sic nimirum
Reuchlinus magna ætatis parte in Iudæorum
libris consumpta, sedulitate lectionis atq; auar-
ditate, vt sit, res nouas & obscuras, quarum
illhic habetur emporium, experiundi, conta-
gium quoddam atq; affectum contraxerat, vt
de verborum potestate alijsq; Iudaicis quibus-
dam nugamentis non pessime sensisse con-
uinci possit ab his, qui non oscitanter scripta
ipsum, præsertim eum quem citauimus li-
brum legunt. Quid enim prodest non raro
etiam infensum fuisse hebraicis fabulamentis
& superstitionis illius gentis cultibus? Quid
refert affirmare, vim verborum non sine deo
ostenfore teneri, hunc se nobis mirabilium
effectoribus communicare? Quid inquam
iuuat multa his similia, contra Iudaicas præsti-
gias obtendere, dum res & ipsa ædendorum
portentorum potestas, non Dei agentis virtu-
ti, sed certis præscriptisq; prolatis verbis, sed
humanæ industriæ et diligentia, sed literarum

C iij

& syllabas

& syllabarum significationibus atq; characteribus, sed certæ linguæ tribuitur. Quid enim in his Deo relinquimus, si reuelatorem tantum aut conuiuentem facimus? Nam quod interim docetur, miracula omnia in solum Deum referenda esse, qui vel per se vel per substitutas creaturas hæc operetur: recte omnino dictum erat, si id quod de creaturis affirmatur non detorqueretur ad certorū verborum vel syllabarum vim, tanq̃ illis à Deo inditam, atq; perpetuo affixam potestatem, qua iam liceat hominibus sine alia dei inuocatione, in miraculis ædendis, pro arbitrio deliciari, vel etiam dominatum agere. Hoc quid aliud est quàm Deum cedere creaturis locum suum, ac (quod se facturum apud prophetam negat) gloriam suam dare alteri: quasi eum iam pigeat piarum precum nostrarum, ac per tæsus nostram petentium fidem, miraculorum signorumq; operationes alterius potestati resignet, malit̃q; creaturæ nomen, quàm suum in his illustrari.

Non vrgeo quòd personatum Baruchiam sua quidem voce de sacris arcanisq; nominibus, eisq; inditis virtutibus differentem, palàm etiam suffragio iuuat: quanquam etiam, si hoc non faceret, satis perspectum esse potest cuius

est cuius ille stomacho loquatur. Quid hic memorem prodigiosa illa, quæ nobis tanto supercilio profert hic Baruchias de suo hu, de Esth, de Ehieh, de Hod, de Tiphereth, & alijs plurimis? Quid quæ de ipso tetragrammo Iuh, ac de nescio quo quaternione, tam superficialiter Iudaica, imò & Pythagorica? quid quod de he literæ potestate? Neq; hic exagitatione quæ ipsiusmet Capnionis oratio ingerit, de Bra, & aliorum quorundam hebraicorum nominum characteribus, de Orphæi, Ennii, et Euripidis prophetia fanatica, de præscriptorum à deo verborum potestate, de vnius S. literæ diuinitate & sacramentis, de mathematica structura et connexionem domus, ac numismæ literarum Iuh, vt tantum non affirmare videatur, quod alter ille effutijt, literas ipsas incarnatas fuisse, hinc & ad Dei per characteres inuocationem, ad grammaticas exorcismorum compositiones, ad Caballisticas opiniones asserendas, & alia quædam non perinde digna tanto ingenio deuolutus est. Hæc vnde, nisi de contagio consuetæ hebraicæ lectionis ac curiose philosophantium contubernio, præclaro illi animo adhæseret? quæ hunc postremo ad famæ quoq; & vitæ adegerunt discrimen, è quo non sine Theseo, & haud scio an solo literarum fauore publico eluctatus est,

C iij dignus

dignus alioqui his qui de ipso circumferuntur trophæis & apothecibus. Inuidiam ei maiorem conflat, qui veluti asinus ille Aesopicus in his quæ v. ro illi, ex literarum copia non infeliciter defluxere, suo arbitrio luxuriantur, non intelligentes, quæ forsitan in synodis suis obiter audita ipsi tanquam de suo proferunt, aut certe ex non perperam disputatis pessimo sensu quæ suis Apinis arridere visa sunt, velut ex fauis inli a res cæras depromunt. Aduersus quorum dumtaxat vesaniam, non Reuchlini doctissimi insectatione aliqua, hæc disseruimus.

Nec ego quidem, quàmuis respondendi necessitate actus, hæc aduersus illos scripsissem, nisi cernerem, has quas euomunt blasphemias, tabellis & schedis inscriptas, in templis publicitus affigietiam. Quæ tamen potuissim priuatim respondens, priuata forsitan censura emendare, ac stylum vel vertere vel prorsum abijcere, si hic solum peccaretur, & ad me tantum peruenirent talia. Verum quum sumpta ex nostro silentio licentia, his non saniora in vulgus spargantur plurima, ac videam non solum parietibus tum sacrarum tum priuatarum ædium hætere, sed etiam publicis

publicis concionibus doceri nescio quæ Amuleta contra pestilentiam, contra improvisos occubitus, contra tonitruorum terrorem, contra fures & latrones, contra desperationem, contra iram dei, & huiusmodi alia. Quæ verbis in id conceptis, ac rhythmis quibusdam sordidis, numeris'q; pythagoricis in preclarum seriem concinnatis, ita fucum faciunt legentibus et audientibus, ut certò credant vim illis diuinam & peculiarem inesse, ad ea quibus habentur destinata. Quæ cum per se sint plausibilia rudi plebeculæ, ad superstitiones semper propendenti, studium etiam additur, ut ei persuadeatur diuino spiritu esse instillata, Affinguntur & pontificalium condonationum ementita plaustra, præfiguntur celebrium autorum magnifici tituli, cum ferè nihil masculum, nihil solidum, nihil spiritu calens, in his sit videre, pleraq; etiam stolidas sint & ridicula.

Vnam forte in his legi veterem illam ac non incelebrem precationem. Hagios, otheos, hagios ischyros, hagios athánatos, eleefton ymas: sed ideo cæteris opinor iunetam, quod peregrinis constat vocibus, terrificum quiddam apud græcæ linguæ imperitos

C v

ritos

ritos ac diuinum sonantibus: quod genus in
cantamentis habetur appositum. Hæc quo
titulo fuerit insignita subdam, vt inde discas
qualia sint cætera. Sancta synodus Chal-
cedonenfis quarta, constituit hoc trisagium
factæ trinitatis dici cōtra stellionatus hoc est
minas diuinas. Autorem quoq; tam venus-
ti dicti facit Ioannem Damascænū, græcum
doctorem, cuius neq; verba ista sunt neq; sens-
sentia. Narrat tantum proditas diuinitus, sub
Proclo Constantinopolitano Episcopo minas
resedisse, cantato à multitudine hymno illo,
qui in Synodo quoq; illa celebri decantatus
fuerit: Historiam eò tantum refert, vt ostens-
dat huius hymni verbis publice ab Ecclesia res-
ceptis damnari cuiusdam Gnaphæi hæresim.
De constituto autem eius precationis vsu, nec
ille verbo meminit, neq; si omnia illius cons-
ciliij acta euoluas, reperies aliquid. Neque
adèd impium fuerat hoc concilium, vt dei
minas sua constitutione reprimere voluisset,
quod hic tamen audet etiam tabulis inscribere,
re, comminiscens nescio quos stellionatus in
coelo natos, addito bello interpretamento, vt
doceat quàm bona fide hæc nobis conetur
persuadere. Ferenda essent verborum spectra
& neniæ signentorum, si non sub specie res-
ligionis

ligionis & pietatis hæc tanquam salutaria inculcarentur incautis simplicium mentibus, ac iam etiam cænobia replerent: vnde vt facile in cæteros demigrant, ita putantur inculpate transmittere fructus, quos illi deuotiones vocant: nos verò sacrilegia & meras idololatrias interpretamur, quibus populus à sensu spiritus ad prophanas superstitiones, à vero Dei cultu ad fiduciam verborum, ceu ad carminum incantamenta quædam auocetur. Hæc an non vera & certa idololatria est: hanc feram episcopus in animabus de quibus mihi reddenda ratio est: præsertim quum is qui huius actor est fabulæ, non semel à me de his admonitus, pergeret tamen sui similis semper esse, vt etiam prouocare videretur officium meum.

Verum re ipsa comperi, nihil esse tam difficile abolitu, quàm hanc pestem, si semel eorum mentibus infederit, qui non nouerunt secundum scientiam iudicare: tum quàm proeliue sit ihs qui aduersus hæc luctantur, incidere in iudicium hominum, nihil nisi præsentium rerum faciem expendentium, nec spectantium quid me meoq; similes in huiusmodi diuinæ gloriæ negotio deceat, quid moneat suscepta
functio

functio, quid postulent subditorum rationes.
Quæ si ad iustum præstare non possum, ob-
sistente mihi mundo, eiusq; principe, malo-
rum omnium in-centore, saltem testatum facere
apud homines volui, me neq; probare hæc
de quibus iudicium tuli, neq; conuiuere ad ea
quæ passim repræhendo. Apud Deum scri-
pto non eget testis conscientia, quam & erga
inobsequentes monendo, terrendo, docendo
liberasse iuuabit.


Coloss: iij.

Quicquid egeritis sermone aut facto,
omnia in nomine domini Iesu facite, gra-
tias agentes deo & patri per ipsum.

GEDANI EXCVSVM
PER FRANCIS
CVM RHO
DVM.

GEORGE T. ...
PER ...
CUM ...
D.M.

*Gebunden
von
L. A. Garbe
Rostock.*



15

10

5

D E F G H I J K L M N O Balance Q R S T

4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 W X

M-Fach-Bibliothek - Rostock

Anacris is no-
minis Jesus.

